

peccata. quoniam ista confessio non est occulta sed manifesta. Et nota quod cum in templo salomonis dedicato sacerdotes dicerent Confitemini domino quoniam bonus quoniam in seculum misericordia eius. nebula impleuit domum domini et obumbravit facies sacerdotum. ita quod se invicem videre non poterant. et ait Salomon. dixit dominus quod inhabitaret in nebula. dixit id est opere demonstravit. quoniam in monte sinai apparuit in nebula israel in nube processit. et ante ^{habetur.} moysen in caverna positum transiit in nebulam. Percussit mus autem peccata cum peccata confitemur. exemplo publicani qui peccatum suum percuciebat dicens domine propicius esto mihi peccatori. In tonsione quidem pectoris tria sunt. scilicet sonus. et tactus. per que significant tria que sunt in vera penitentia necessaria videlicet cordis contritio. oris confessio et operis satisfactio. quia in tribus peccamus scilicet corde ore et opere. Deinde pro circumstantibus orat indulgentiam peccatorum implorans. Nam christus de secreto patris in mundum veniens. et de utero virginali procedens patribus spiritalia multiplicata pro nobis passus iterum in iherusalem introiit. in morte se inclinavit. causam suam contra hominem dolosum et iniquum deo committentes. et per confessionem fecit dicens Confitebor tibi pater celi. et ipse quoque nobis indulgens proprio corpore peccata nostra portavit. Sane pontifici facturo confessionem subdiaconus manipulum coram altare immittit. Primo ad notandum quod concessa temporalia per manum alienam puta subdiaconi vel alterius. et non per propriam recipere et administrare debet. Secundo ad designandum quod non sufficit oris confessio nisi et boni operis fructus per manipulum designatus sequatur. Tercio ut videns se inferioris ministerii ornamento ornari animo humilietur. Rursus ideo pontifex post acceptam casulam et non ante manipulum recipit. quia christus cuius typum gerit non prius manipulos operum. qui per manipulum ipsum designantur obtulit. quod celestem haberet conversationem que per casulam figuratur. prout in parte tertia sub dalmatica dictum est. Sacerdos vero e contra ante indictam casulam manipulum sumit. quoniam celestem conversationem adipisci nequit. nisi prius sanctorum operum manipulos portet. Ad hoc pontifex. postquam ad altare pervenit manipulum recipit. ad notandum quod tunc demum bonorum operum effectuum premium precipiemus cum ad eterni tribunal iudicis perveniemus. Sacerdos autem dum facit confessionem et etiam sepe in missae officio manus iungit. que manuum iunctiones devotionem significant. Et quia illa in aliquo est maior. et in aliquo minor. ideo certus manuum iunctionum non est numerus determinatus. Rursus sacerdotis manuum iunctio significat omnium bonorum a deo fluentium in ipso unitatem et coniunctionem

et quia infinita bona infinitis et indeterminate modis possunt a deo procedere. ideo manuum iunctiones sacerdotis numerus determinatus non est. Inclinationes vero sacerdotis in officio missae secundum morem quarundam ecclesiarum sub certo numero perstringuntur. quoniam regulariter octo vicibus profuit coram altare. et tredecim vicibus mediocriter supra altare inclinat. octo profundas inclinationes ante altare facit ad referendas gratias ipsi christo. de octo principalibus que egit ante sui immolationem quod sacerdos in officio figurat altaris. primum fuit admirabilis incarnatio. secundum fuit discipulorum gratuita vocatio. tertium demonis in temptationibus superatio. quartum miraculorum operatio. quintum infirmorum sanatio. sextum mortuorum resuscitatio. septimum omnium questionum ei propositarum per suam sapientiam determinatio. octavum salutaris populorum instructio. et que cumque ante sui immolationem egit. Ad haec octo secundum bernardum. reduci videntur. xiiij. vero inclinationes mediocriter facit supra altare. quod christus. xiiij. principalia fecit in ara crucis sumendo aram crucis pro toto tempore sue passionis que quidem incepit in hora captivitatis. primum fuit iudei perditionis discretio. redargutio. dicens iuda osculo filium hominis tradis. secundum fuit ipsum captivum sub prebitio dicens eis. quem queritis. qui responderunt. iherosolimam nazarenum. quibus respondit ego sum. Tercium falsis testibus et regibus mansuetam responsionem. Quartum sputorum et verborum sine murmuratione tolleratio. Quintum in his que vidit et audiit nulla sibi data perturbatio. Sextum discipuli eum ter negantis culpe denotatio. Alia vero septem enumerat ambrosius. ab eo in ligno crucis facta dicens. Actio pietatis in cruce pendens officia dividebat. persecutio in apostolis. pacem discipulis. corpus iudeis. spiritum patri. paranimphum virgini. paradisi latroni. et infernum peccatori. Oscula quoque sub certo numero fiunt. prout dicitur in quarta particula canonis

**De incenso benedicendo
et in thuribulum mittendo**

Dest factam confessionem. et datam absolutionem pontifex vel sacerdos prius quod dicat. Deus tu conuersus. et incensum cum benedictione in thuribulo apponit representans quod legalis sacerdos ferens sanguinem et carbones. cum thimiamite in thuribulo orans ponebat. donec fumus eum obumbraret. prout dictum est in preteritis huius partis. Per hoc etiam illud insinuans. quod angelus venit. et ante altare stetit. habens thuribulum aureum in manu sua. quod impleuit de igne altaris. et data sunt ei incensa multa ut daret de orationibus sanctorum.

Sane angelus est christus thuribulum aureum corpus immaculatum altare ecclesia ignis caritas incensum oratio secundum illud propheticum. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Venit ergo angelus id est christus qui stetit ante altare id est in conspectu ecclesie habens thuribulum aureum id est corpus immaculatum plenum igne id est caritate. et data sunt ei scilicet a fidelibus incensa multa id est orationes ut daret id est representaret eas patri de orationibus sanctorum. Et nota. quia non dicit orationes christus enim non omnes orationes exaudit sed dicit de orationibus de illis videlicet que pertinent ad salutem. Unde cum paulus terram dominum rogasset ut ab eo stimulum carnis auferret respondit ei dominus sufficit tibi gratia mea nam virtus in infirmitate perficitur. Episcopus ergo vel sacerdos thus in thuribulo apponit. quia christus orationes inspirat in animo ut per ipsum offeratur incensum in odore suauitatis. Sacerdos autem minister incensum representat episcopo vel diacono sacerdoti quia lex illud preciosum thimicama conficit quod in odorem suauitatis altissimo offerret de quo dominus subdit in exodo tricesimo capitulo. Talem confectiorem non facietis in usus vestros quia sanctum est domino. et homo quicumque fecerit simile ut odore illius perfuatur. peribit de populis suis. Et ex hoc verbo fuerunt qui dicerent. quod si oblatio thure. et benedictio supra altare. thuribulum descendat. ab altari ad clericos vel laicos. tunc aliud ibi thus sine benedictione apponendum est et omnibus tam clericis quam laicis offerendum tanquam illud spectet ad laiciam istud ad dulia. Melius tamen secundum spiritum quam secundum litteram intelligitur. nam littera occidit spiritus vivificat. et propter premissam etiam causam odor thuris benedicti non datur in ecclesia sponso et sponse. Per concremationem vel consecrationem vero thuris significatur. quod sacerdos orationem feruentem et deuotam debet habere. Thus enim virtutem habet ascendentem ex fumi leuitate consolidandi ex sui qualitate. constringendi ex glutinitate confortandi ex aromaticitate. sic oratio ascendit in dei memoriam animam consolidat. quantum ad culpam preteritam impetrando misericordiam. et constringit. quo ad committendi licentiam et confortat. quo ad presentem impetrando tutelam. de quo etiam dictum est sub ti. de accessu pontificis ad altare. et dicitur sub ti. de thurificatione. Maui culam vero in qua incensum reponitur. designat quod per orationem quam incensum significat. de huius mundi mari magno et spaciose ab celestem patriam satagimus nauigare. Unde in proverbio. facta est quasi nauis misticoris. portans de longe panem suum. Potest etiam dici. quod per thuribulum cor hominis. per ignem feruor deuotionis. per incensum orationes. per nauiculam ecclesia in qua deuote orationes offeruntur.

que per angelum ad deum perferuntur signantur. Vascula quibus ignis recipitur sunt filii. qui corda patrum pietate fluencia imitantur. et flammam celestis sacrificij. quam in proximorum mentibus aspiciunt in suis accendere satagunt. Instrumenta vero quibus ignis ad altare portatur sunt predicatorum. qui exemplis sanctorum caritatis ignem portant et in corda fidelium transferunt que corda patrum in filios conuertunt. Thuribulum autem quid significet dicitur sub ti. de thurificatione.

De Osculo altaris et libri. R.

Dost inissum in thuribulo incensum sacerdos seu episcopus dicto. deus tu conuersus. etc. sacrum osculatur altare ut notetur pacificatio cum iudeis et ad designandum quod christus ad nos veniens. sanctam sibi copulauit ecclesiam. Iuxta illud Epitalamicum osculetur me. osculo oris sui. In osculo siquidem os oris coniungitur. et in christo non solum humanitas est unita diuinitati. Verum etiam sponsa copulata est sponso iuxta illud propheticum. Quasi sponsa decorauit me corona. et quasi sponsam ornauit me monilibus. Rursus quando propheta versus inuocatus a cantore incipit. sacerdos ad altare ascendens illud osculatur quod propheta testimonio christus venit in mundum. et ad passionem altaris. Quociens autem in officio misse osculetur altare et in qua parte eius oscula fiant et quare manibus supra illud deponitis. et que signo crucis in locis osculabilis post impressio. dicitur sub quarta particula canonis. In hoc autem loco altare significat populum iudaicum. Ceterum vero euangelij siue euangelium populum gentilem qui per euangelium credidit. Sed ergo episcopus vel sacerdos euangelium et altare osculatur. quod christus utriusque dat pacem. quando lapis angularis factus fecit utraque unum. Potest etiam dici quod sub diaconus librum euangelij qui clausus portabatur offerunt episcopo vel sacerdoti. Ille vero ad altare perueniens illum aperit. ad insinuandum illud quod in apocalypsi describitur quod nemo dignus est aperire librum qui intus erat scriptus. et foris sigillis septem signatus nisi leo de tribu iuda clavis dauid. qui librum aperuit et visus eius signacula soluit. Per altare vero ecclesia signatur iuxta illud exo. Si altare lapideum feceris mihi non edificabis illud de sectis lapidibus. Per sectionem lapidum in altari diuisionem fidelium reprobatur ecclesia. ne videlicet per errores et scismata diuidantur. Ite ergo aperit. cum episcopus ad altare peruenit. quod niam ubi christus primitiua apostolorum congregauit ecclesiam docens et predicans scripture misteria reuelauit dicens. Vobis datum est nosse misterium regni dei. ceteris autem in parabolis. Unde post resurrectionem aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas